

DE DISSEMINATIONE VERBI. Fo. XXIII.

torum ac maiorum magistratum est, Qui si dissimulent, etiam consultum magis, vt vltio remittatur ad deum, quam vt tantum scandalum inde detentius subsequatur.

Admonendus populus, vt oret pro magistratibus. Cap. XVIII.

Est autem populus frequenter in concionibus, post conciones vero semper diligenter comonendus, vt deum Opt. Max. pro potestatibus deprecetur. Volo (inquit gentium magister Paulus) vt fiant omnium primum obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est & acceptum coram saluatore nostro deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

Notantur qui secus docent. Cap. XIX.

Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus domini nostri Iesu Christi & ei, quae secundum pietatem est, doctrinae, superbus est, nihil sciens, sed languens circa quaestiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inuidiae, contentiones, blasphemiae, suspiciones malae, conflictationes hominum corruptorum, & qui a veritate priuati sunt, existimantium quaestum esse pietatem.

Summa doctrinae Christianae in Enchiridion contrahenda. Ca. XX.

Porro cum secundum euangelicam atque apostolicam doctrinam (quibus decreta patrum ac Conciliorum, denique pragmatica sanctio Augustana merito accedunt) in ecclesia dei sola canonica scriptura ac diuina eloquia secundum ecclesiasticam interpretationem sanctorum patrum ac doctorum, & recitari, & predicari debeat, non abs re videbitur parochis summam Bibliorum paucissimis prescribere, ne alicubi, dum scripturae metas nesciunt, impingant.

Enchiridion quae docebit. Cap. XXI.

Et cum praecipue ipsis incumbat, vt plebem erudiant in praecipis decalogi, articulis fidei, qui symbolo apostolico recensentur ac ecclesiae sacramentis simul cum explicatione orationis dominicae. (Hic est enim inchoationis Christi sermo, quo iacitur fundamentum, ab operibus mortuis & fidei in deum) idcirco vt imperitioribus consulatur, quoddam Enchiridion dabimus, in quo breuissime haec omnia secundum sanam & ecclesiasticam doctrinam exponuntur, si mul & loci quidam communes ad omnes omnium hominum aetates ac ordines commonitorij inserentur. Veneratio quoque sanctorum ac reliquiarum, Denique quatenus imaginibus ac picturis vtendum, docebitur. Nec interim quid sibi ecclesiasticae ceremoniae, praesertim illae pie ac antiquissimae velint & quo conducant, in eodem libello declarare omitteremus, idque succinctissime.

Ordo concionandi quae simpliciores sequentur. Cap. XXII.